

**Fata variolarum insitionis in Svecia ... dissertatione ... publice defendenda
expendit / [Johan Anders Murray].**

Contributors

Murray, Johann Andreas, 1740-1791.
Universität Göttingen.

Publication/Creation

Goettingae : Typis Pockwitzii et Barmeieri, [1763]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/usx33hdm>


License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



38073/B



Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30520071>

Murray

F A T A
VARIOLARVM INSITIONIS
IN SVECIA
ANNVENTE INCLYTO MEDICORVM ORDINE
IN ACADEMIA GOETTINGENSI
GRADVM DOCTORIS MEDICI
AMBIENS

DISSERTATIONE
D. XX. AVGVSTI ANNI MDCCLXIII
PVBLICE DEFENDENDA

EXPENDIT
IOANNES ANDREAS MVRRAY
STOCKHOLMIENSIS.



16798

GOETTINGAE
TYPIS POCKWITZII ET BARMIEIERI.

M.V.



307418

VIRO ILLVSTRI ET GENEROSISSIMO
NICOLA O ROSÉN
DE ROSENSTEIN, D.

EQVITI DE STELLA POLARI
SACRAE REGIAE MAIESTATIS SVECICAE ARCHIATRO
ACADEMIAE REGIAE SCIENTIARVM STOCKHOLMIENSIS
ET VPSALIENSIS MEMBRO, REL.

VIRO ILLVSTRI
PAVLO GOTTLIEB
WERLHOFIO, D.

POTENTISSIMI MAGNAE BRITANNIAE REGIS
CONSILIARIO AVLICO ET ARCHIATRO
ACADEMIAE CAESARAE NATVRAE CVRIOSORVM
REGIARVMQVE SCIENTIARVM SOCIETATVM LONDINENSIS
ET GOETTINGENSIS MEMBRO, REL.

MEDICIS SVMMIS
PATRONIS OPTIMIS

VIRI ILLUSTRI ET OTTOMANIS
NICOLA O ROSEN
DE ROSENSTERN, D.

REGIUM ET STILIA POLA
SACRAE, REGIAE MAIESTATIS SVEDICAE ARCHICAMERO
ACADEMIAE REGIAE ET NATURAE HISTORIAE
ET VASCULORUM MEMBRIS, REG.

VIRI ILLUSTRI
PAULO GOTTLIEB
WERLHOFIO, D.

POTENTISSIMI MAGNAE BRITANNIAE REGIS
CONSILIARIO AVILIO ET VASILLARIO
ACADEMIAE CAESARIAE NATURAE HISTORIAE
REGIAE SOCIETATIS LONDINENSIS
ET COLLEGIORUM MEMBRIS, REG.

MEDICIS SVMMIS
PATRONIS OPTIMIS

VIRI ILLVSTRES

Inter laetissimas res prosperrimasque, quae mihi per omnem vitam meam acciderunt, iure refero, quod VOBIS innotescere, benevolentiamque VESTRAM inire, mihi contigerit. Tantus fuit fauor singularis, quo me et praesentem et absentem prosequuti estis! Nihil vero, quod pro tot eximiis in me collatis beneficiis referam, praeter gratum animum, habeo: cuius interpretem leue hoc, quod submisisse VOBIS offero, opusculum agnoscatis, vehementer rogo. Propitia igitur illud

voluntate, et in patrocinium VESTRUM, sin eodem non omnino indignum sit, suscipite: qua in re, quoniam VOS IPSI artificio illi salutari, de quo egi, tantopere fauetis, aliquid spei concipio. Ne desistite vero, quaeso, VIRI ILLUSTRES, benigne de me studiisque meis sentire, persuasi, neminem sinceriora pro VESTRA incolumitate vota facere, et maiori VOBIS reuerentia addictum esse

VESTRORVM NOMINVM

cultore obsequiosissimo

IOANNE ANDREA MURRAY.



LECTVRIS.

Nihil sane ad lites, quae nostro tempore de variolarum insitione personant, dirimendas, eiusque pretium rite definiendum, aptius, magisque idoneum est, quam sedula experimentorum, variis in locis, et a diuersis viris, institutorum collectio. Haec enim nudam quasi artificii virtutem sistit, remotis omnibus, quae, vel ingenii ludentis, vel partium studii, suspensionem iniicere possent; et vel inuitos, siquidem quicquid affertur, sola experientiae vi nititur, ad assensum trahit. Vnde non mirum, quod medici a primo inde initio, quo variolis inferendis animum aduerterent, historias successus studiose consignarent, easdemque in diariis publicis, ut earum usus non ad doctos tantum, sed ad alios quoque, artis medicae ignaros, pertingeret, adumbrauerint.

Nec in Suecia haec insitionis artem commendandi, ciuesque excitandi, via, intacta mansit. Quum vero scripta, hac de re edita, apud externos, ob linguae rariorem extra patriam notitiam, haud ita cognita sint, nec in peculiari libello nostratum de variolarum insitione merita contineantur; varia praeterea momenta existant, quae typis nondum descripta sunt: operae pretium duxi, quae mihi de illo



illo argumento constitere, hic congerere, publicique iuris facere. Quoad itaque eius per loci a patria distantiam fieri potuit, expendi, quae variolarum insitionis artificium in Suecia habuerit initia, quae incrementa, quis demum nouissimus eius in patria, (quousque nempe innotuerit), status sit; praemissis epidemiarum quarundam variolosi morbi funestarum descriptionibus. Methodum, qua in exercitio artis medici vti sunt, tum modo indicare opus fuit, quando ab illa, quae hodie in nosocomio Londinensi, insitioni destinato, adhibetur, et quam Nostri ubique iam sectantur, abluit.

Sciant vero lectores, me ad finem circiter anni 1761 substituisse. Attamen de successu praxeos huius, Vpsaliae, Gothoburgi, et in aliis quibusdam locis, etiamsi ante hunc temporis terminum, usurpatae, fusius agere mihi non licuit, quum pauca modo adhuc hac de re ad medicorum Collegium relata sint. Cetera, quae postea in insitionis negotio suscepta sunt, alia occasione recensebo, qua et dictis, quae praeterire nunc silentio debui, addendi, copia, ut spero, dabitur. Iam enim iuuat, me fundamenta iecisse, quibus in posterum historiae artificii in patria progressuum, quos felicissimos futuros esse ominor, utque sint, eo, qui ciuem decet, animi candore opto, superstrui possint.





DISSERTATIO
DE
FATIS VARIOLARVM INSITIONIS
IN SVECIA.



INTRODVCTIO.

Quae variolarum insitioni in Suecia contigit
conditio, longe blandior laetiorque fuit,
quam in plerisque reliquis Europae regioni-
bus. Non equidem inficior, serius ibi fuisse
illam adhibitam, et in vsum translatam,
quam apud alias nonnullas gentes. Nam ad emtionem,
quam vocant, variolarum, qua longo iam temporis ab-
hinc spatio passim in patria vfi sunt, ne praesente quidem,
A qua

qua viuimus, aetate, plane reiecta,¹ non respicio: quae tamen, suo quodammodo iure, inter infitionis genera refer-
tur; si nimirum quodcunque artificium, quo per cutem
contagium latici vitali immittitur, non illud solum, quod
maiori apparatu perficitur, hocce nomine insignire velis.
Sed non illis, quibus in Anglia, Francia,² Germania,
Italia, a Theologis, Medicis, aliusque ordinis viris, mo-
tibus agitata fuit.

Non enim apud nostros Theologos moris est, me-
dentium, in re, quae tot obseruationibus, tot in arte ex-
perimentis nititur, inuadere prouinciam: quanquam
omnino laudandi sint viri illi sacri, et certe laudentur in
patria, qui tantum medicarum litterarum imbiberunt, vt
praesidiis diaeteticis, quin therapeuticis, artis antistitum
experientia probatis, non sibi modo, sed et aliis, in loco
a me-

¹ V. generosiss. Equitis ROSE'N DE ROSENSTEIN *Commentatio de va-
riolis*, ea scilicet pars, quae Calendariis Stockholmiensibus annorum
1756 et 57 affixa est: vbi emtionis, sic dictae, antiquitatis, nomina-
tim in Ostrogothia et Westrogothia, mentionem iniicit. Addit ve-
ro vir illustris, quod, ob peruersum praeparandi corpus modum, suc-
cessus non adeo faustus fuerit. Cfr. cel. SCHVLZII *berättelse om
koppors ympande* p. 59.

² Mirum videri posset, quod, dum Suecicae genti, aliisque, magis in dies
artificium probetur, in Gallia nuperrime, illo vti, donec nouum ex-
amen subierit, legibus interdictum sit; tanto magis, quum adeo po-
pulo iam placuisset, vt sexus elegantior capitis quibusdam ornamentis
nomen à l' *inoculation* imposuerit.

a medicorum ope diffito degentibus, prospicere nouerint. Satiùs igitur nostri duxerunt, venerabilibus viris, SOME, DODDRIDGE, MADDOK, WARBURTON, CHAIS, accedere, quam acribus illis contrariae sententiae defensoribus, MASSEY, DE LA FAYE, nomina sua dare. Ipse Succici regni Archiepiscopus, Academiaeque Vpsaliensis Procancellarius, reuerendissimus D. TROILIVS, suo exemplo, Theologorum ordinis de variolarum insitione iudicium expressisse censendus est, quum, haud ita pridem, in tribus suis liberis illam instituendam curauerit.

Medici vero, quum animaduernerent, parentes metu inani, non tamen facile superabili, a variolarum inferendarum artificio abhorrere, et aliis quoque sano corpore morbum sponte arripere temerarium nimis videri; praestolabantur exterorum experimentorum successum: ne, si domi fortasse, (quod tamen extra medentis culpam contingere potuisset,) minus exoptate experimentum euenisset, arma praeberent aliis, in hac ipsa re dissentientibus. Quum vero voto conatus responderent: tantum abest, ut arti illi aduersarentur, ut potius unitis quasi viribus, quo latius diffunderetur, allaborarent. Verum feliciores multo dein eius progressus fuerunt, postquam superiorum auctoritas coeptis annueret, eademque adminiculis praestantissimis subleuaret.

SE-

3 V. *Hamburg. Correspondent*, No. 104, a. 1763, sub articulo: *Stockholm*,

S E C T I O I.

DE INDOLE VARIOLARVM IN SVECIA
GRASSANTIVM.

Priusquam ad fata, quae in patria habuit infitionis artificium, expendenda procedam, disquirere antea fas est: an tanta variolae vehementia apud nostrates saeuiant, vt adsit, quod ad earum infitionem tentandam possit impellere. Haec vt excutiam, non est, quod ad antiquiora tempora regrediar; sed in colligendis testimoniis quibusdam virorum, qui adhuc vita fruuntur, fide dignissimorum, eo quidem fine, vt dicto tanto maior fides habeatur, vnice acquiescam.

§. I.

Maligna variolarum natura, testimonio ill. ROSENII, et exemplo morbi huius, annis 1744, et 50, Vpsaliae saeuientis.

Obseruat illustris et generosissimus Eques ROSEN DE ROSENSTEIN, qui, quantum ad artis salutaris incrementum in patria contulerit, et hodie adhuc conferat, ciues eius summo suo commodo experiuntur, exteri norunt et mirantur, in actis Academiae Regiae scientiarum Suecicae,
vbi

¹ V. Kongl. Svenska Vetensk. Acad. Handlingar för år 1751, Vol. 12, p. 31. Vtcrius, nouo experimentorum successu suffultus, remedium istud in Calendario Stockholmiensi a. 1757, regulis practicis subiunctis, commendat.

vbi prophylacticum suum contra variolas remedium communicavit, annis 1744 et 50, Vpsaliae perniciosum nimis et malignum variolarum genus inualuisse. Et addit paulo supra: contra malignas vel confluentes variolas hucusque nullam humana sagacitate detectam esse medendi rationem, quae miserum aegrum periculo suo eriperet; hoc quoque in causa fuisse, vt remedium meditatus esset, quo morbum vel penitus auerteret, vel, sin hoc non fieri posset, ad minimum mitigaret.

§. 2.

Epidemia variolarum Encopiensis anni 1753.

Eodem recidunt historiae de morbis epidemiis, a celeberrimo BERGIO, Professore Stöckholmienfi, per tres huc usque annos, sollerter conscriptae. Non abs re erit, quaedam ex hisce huc transferre.

Quum Encopiae,² anno 1753, variolae grassarentur, sub initium statim tantam in aegris debilitatem pepererunt, vt, iam ante finem primi diei, tremoribus, per totum corpus dispersis, afficerentur. In quibusdam insignis animi hebetudo adfuit: pustulis ipsis iam primo interdum, vel secundo, plerumque autem tertio die emergentibus. Fue-

² V. PET. ION. BERGII *Försök til de uti Sverige gängbara sjukdomars utrönande, för år 1754, p. 26, seqq.*

Fuerunt illae vero concauae quoad superficiem, vel depressae, in confluentes demum et planas transeuntes. Nec mitescere febris, emissis pustulis, consuevit. His dira diarrhoea accessit, et respiratio, mucro pulmones grauante, difficillima magnoque strepitu peracta. Et licet, vndecimo die, sensim exsiccari variolae inciperent, mala tamen omnia nouum potius incrementum ceperunt. Sic quibusdam hiare os, caputque conuelli obseruatum. Lotium faecesque nigrae et foetidae continuo secessere. Haec variaque alia dolenda symptomata, vsque ad 13 vel 14 diem, perdurarunt. Quibus exactis, diarrhoea cessauit, spiritus liberius hauriri coepit, pedesque et manus intumuerunt: et tum plerumque aegri animam efflarunt. In ceteris, terminum illum transgressis, 17 die, et dein 20, recruderunt mala. Quibus, post 11 diem, palpebrae coaluerant, in his omnibus, oculis vel membrana obductis, vel pure, horrendo spectaculo, exesis, caecitas successit.

§. 3.

Epidemia Finnica anni 1754.

Non benignioris morbus naturae fuit, quum, sub finem anni 1754, ad Fennos³ transmigraret. Aboae enim plerumque variolae contiguae valdeque lethales, nisi periti medici cura tempestiue auxilium ferret, apparuerunt.

Pef-

³ *Försök för år 1755, p. 6, seqq.*

Pessimum vero genus ditionem Biörneburgensem infestavit, dum in plurimis, quorum vitae morbus pepercit, membra suis functionibus priuaret, vel magnam deformitatem induceret. Nam per acrimoniam puris, ad ipsa ossa subinde prorepentis, quod nempe lente nimis pustulae arescebant, musculorum tendinibus vis illata fuit.

§. 4.

Epidemia Stockholmiensis annorum 1755, et 56.

Quae Stockholmiae, ingrediente Octobris mense a. 1755,⁴ aegros vexabant variolae, pariter malignae indolis fuerunt. Aegerrime enim illas sese eleuasse, et dein transparentes et plerumque confluentes euasisse, doctissimus BERGIUS queritur. Nec raro aegri, humoribus ad pectus congestis, suffocati sunt. Decembris mense⁵ aucta contagii vis Stockholmiae, in australi praecipue plaga, pagisque visa est. Infantes nimirum saepe, antequam exanthema erumperet, tam atrox eclampsia corripuit, ut hac ipsa sola succumberent: vel tantopere in dies febris creuit, ut, pustularum loco, maculae modo liuidae sese conspiciendas darent. Quin immo, 5 die, vix amplius vestigia pustularum remanserunt. In aliis illae nihil nisi lympham fouerunt, vel albae claraeque apparuerunt, conuexa figura destitutae. Multi, quibus euacuationes non rite successerant, su-

pe-

⁴ l. c. p. 94.⁵ l. c. p. 105.

perato morbo, in lentam febrem inciderunt, de abdominis inflatione et duritie conqueſti: et nonnunquam totum illis corpus intumuit. Vel diriffima dolorum tormenta perpeſſi, tandem, ſumma macie ex hecſtica febre conſecti, obierunt. Cum quibus mitius actum fuit, in his tamen anchyloſis cubitos vitiauit. Ianuarii menſe anni 1756,⁶ morbus, congeſtionibus ad pectus factis, difficilis valde fuit. Menſe Nouembris, mortem plerumque pediffequam habuit, ſi infantes tuſſi conuulſiua laborantes adoriretur, quod exhaustis tuſſi viribus cl. BERGIVS adſcribit. Hinc quoque euenit, vt puſtulae, intra cutem deliteſcentes, ſanguine ſuffunderentur.

Diffiteri quidem non licet, in caſibus recenſitis, ſaepe negligentiam, vel inepta matrum aliorumque auxilia peccaſſe, quum tenellis ſpirituofas potiones propinarent, eoſdemque ſtragulis denſis pellibusue obruerent. Sed ne Stockholmiae quidem, vbi ſane meliora conſilia non deſunt, malum mitius fuit.

§. 5.

De variolis, quae ditionem Calmarienſem, Norrlandiam et nuperrime Stockholmiā afflixerunt.

Exſtant, proh dolor! et alia alibi eiufdem tenoris exempla. Annum vix praeterlabi affirmat clariffimus

WAHL-

⁶ V. *Förjök för år 1756*, p. 2.

WAHLBOM,⁷ quinaliquem locum in ditione Calmariensi, ubi medicinam cum laude exercet, variolae affligant, idque tanta saepe vehementia, ut plurimi exinde pereant. Et cl. GISLER⁸ obseruat, per obstetricem, cum infante suo Stockholmia profectam, variolas, anno 1760, in Angermanniam translatas fuisse: quae demum undique, et in Angermannia et Medelpadia, dimanarunt, tanta strage facta, ut, quibusdam in locis, tertius quilibet homo vel quartus interiret. Funestissimam pariter cladem illas, anno 1761, eumque antecedente Stockholmiae edidisse, ex litteris mihi missis percepi.

§. 6.

Calculi varii hominum variolis defunctorum.

Ex disquisitione illustris WARGENTIN, Equitis et Secretarii Regiae academiae scientiarum Suecicae, de commodis, quae ex annuis nascentium et morientium diptychis redundant, constat,⁹ quintam fere hominum partem, quibusdam annis, variolis in patria iugulari. Notat vero duplo plures in pagis, quam in vrbe, variolis
et

⁷ V. Provincial Doctorernes til Kongl. Collegium medicum inlemnade berättelser &c. 1761, p. 45.

⁸ V. loc. cit. pag. 61.

⁹ V. Kongl. Vetensk. Academiens Handlingar, År 1755, et quidem trimestre primum.

et morbillis perire, ex incuria sine dubio et medicamentorum inopia:¹⁰ unde variolae duplo plures homines in Scania, quam in tota Norrlandia, trucidant, quoniam illa nimirum regio non solum copiosior longe est, sed et pagos, non tantis inter se spatiis seiunctos, habet. Quod eo durius patriae accidere nemo dubitabit, quum ex bellis, iis praecipue, quae ante annum 1720 gesta sunt, ex peste, quae subinde quasdam prouincias vexauit, ex defectu denique medentium in pagis, (quod tamen incommodum iam laudabili instituto, prouida medicorum, quod Stockholmiae est, Collegii cura remouere studuit) mira hominum penuria nata sit. Quantum bella ad illam, de qua queror, populi exiguitatem, contribuerint, ex eo videre est: quod, longe plures licet quotannis pueri nascantur, et contra ea plures puellae ex variolis diem suam obeant; nihilominus tamen, anno 1749, feminae ad numerum 100000 vsque, et quod excedit, viros superarint.¹¹ Celeberrimus SCHVLZ, Professor Stockholmiensis,¹² numerum 9000 hominum, singulis annis variolis defunctorum, tanquam medium, iuxta observationes plurium annorum, ex diptychis erui dicit.

§. 7.

¹⁰ V. l. c. trimestre quartum.

¹¹ l. c. trimestre primum.

¹² V. Eius Inträdes-tal om Barns Skötsel i gemen, 1760, p. 36.

§. 8.

An variolae pluries vnum eundemque hominem infestent?

Quaereret quispiam, an, quod de aliis quibusdam regionibus quidam praetendunt,¹⁶ homines pluries in Suecia variolis affici observatum fuerit? Hoc enim si verum esset, multum omnino pretio, quod Suecici medici insitionis artificio assignant, demeret. Afferit SIDOBRE¹⁷ non rarum esse inter septentrionales populos, Suecos, Danos, Anglos, et Parisinos, bis, ter quaterue variolas vnum eundemque hominem invadere. Miror, quo iure hoc de Suecis affirmaverit. Spissitudinem sanguinis quidem accusat: quam, a frigore et alimoniae genere dependentem, seminium variolarum crasso sulphure, quo pinguescat (vtor vero propriis eius verbis) adeo intricare putat, vt minima eius pars per morbi decursum tantum expediatur, pars vero residua temporis lapsu per varios motus, quos patiatur sanguis, euoluatur, et variolas iterum accersat: eo maxime, (addit) quod hae gentes cutaneis spiraculis sint arctioribus, et seminii exhalationi minus idoneis. Quam vero vaga, theoriaeque suae accommodata, viri huius argumentatio

¹⁶ Vide collectos studiose casus, in *refutation de Pinoculation par A. de HAEN*, Cap. 1.

¹⁷ *Tractat. de Variolis et Morbillis*, Cap. 7.

tatio sit, ostendere nihil interest. Testatur generosissimus Eques ROSEN DE ROSENSTEIN,¹⁸ qui instar omnium esse potest, ne vnum quidem casum sibi occurrisse, qui documentum iterati verarum variolarum accessus praeberet. Spuriis vero, lymphaticis scilicet, vti et duris illis, oualibus, patria lingua *Svinköhl* dictis, homines, etiam si veras variolas iam eluctatos, laborare posse, monet. Quod vltterius eorum exempla corroborant, qui, quamvis ante leuissimo modo variolas deuicerint, postea vel consortione cum aegris, maligno huius morbi genere detentis, sine vlla labe vsi sunt, vel vim contagii, per insitionem admoti, feliciter eluserunt.

S E C T I O II.

SVCCESVS INSITIONIS IN VARIIS
REGNI PROVINCIIS.

§. I.

Initium insitionis a cl. HAARTMANNO Aboae factum.

Iam vero argumentum, quod pertractandum sumsi, propius attingam. Clarissimus HAARTMANNVS, quantum scio, primus est,¹ qui variolas in Suecia in seuit. Factum hoc est Aboae, anni 1754 die 19 Nouembris, in celeberrimi

¹⁸ *Almanach til Götteborgs Horizont, år 1759.*

¹ *V. Provincial Doctorernas til Kongl. Collegium med. inkomnade berättelser, p. 38.*

rimi **LECHE**, Professoris medici, filia, natu minima, et eo quidem successu, qui boni instar augurii de praxi illa in omne reliquum tempus considerari potest. En! nouum exemplum, quod probus medicus nunquam alios maiori periculo subiiciat, quam quod vel ipse subire, vel cui, quos carissimos in vita habeat, exponere paratus sit. Quod pariter eximium in **OLAVO RVD BECKIO** nostro, filio, habemus, qui non horruit propria manu viuum coniugis corpus incidere, quum alia via haud posse prolem excludi existimaret. Hinc non sine voluptatis sensu celeberrimi **DARELI**, Collegii medici Assessoris, liberos, inter eos, qui infectione variolas superarunt, inuenio. In filia illa celeb. **LECHII** coaluerat iam vulnus 2^{do} die, vnde pus de nouo ad-mouere e re visum est. Septimo post primam infectionem exanthema minutum, quod proximo die exaruit, in dorso et pedibus erupit. Nono autem verae variolae emerferunt: quae, licet alias in vicinia malignae naturae essent, et ceteros optimi viri liberos, qui morbo iam laborasse existimabantur, tanta vehementia corripere, vt horum vnus vita decederet; felicem tamen decursum nactae sunt. Plurimae pustulae in pedibus, siquidem in his infectio facta erat, apparuere. Vndecimo demum die, quoad maximam partem, crustae deciderunt. Plures praeterea infantes exstant, quibus cl. **HAARTMANNVS** insequenti tempore variolas iniecit; sed de his postea dicam.

§. 2.

Insitio variolarum a cel. AVRIVILLIO Vpsaliae instituta.

Dein celeberrimus Medicus regius et Professor, AVRIVILLIVS², optime de me, quum musis Vpsaliensibus interesssem, promeritus, artificio hocce in puero octenni, non minus fausto euentu, vsus est. Hic nono die aegrotare coepit, tertio vero, a morbi initio, variolae effloruerunt, tricesimum vix numerum superantes, et in facie paucissimae. De ceteris, qui postea, sub huius illustris viri moderamine, insitionem subierunt, nihil adhuc memoriae traditum est.

§. 3.

Adiumenta progressuum et successus insitionis, Gothoburgi, Christianstadii et Stockholmiae, suasu ordinis liberorum caementariorum, peractae.

Quemadmodum vero tenue solet esse rei nouae cuiusvis et insolitae initium: ita nec huic adeo felicem esse contigit, vt cuius statim probaretur, vt potius cl. BERGIVS, ineunte anno 1756,³ 4 tantum infantes, insitioni in patria subiectos, numeraret. Reduce autem cl. SCHVLZIO ex itinere, quod Sacrae Regiae Maiestatis iussu,

² V. celeberrimi VOGELII neue medicinische Bibliothek, Vol. II. P. I. p. 85.

³ V. Kongl. Sv. Vetensk. Acad. Handlingar för år 1756, trimestre primum.

iussu, impensisque publicis, ut, quicquid ad variolarum inferendarum artem spectaret, addisceret, in Angliam fecerat, incrementa cepit artificium magis conspicua. Mox enim post reditum, a. 1756, librum hac de re patrio idiomate edidit, qui, auide in patria lectus, exteris, partim versione, partim recensione innotuit. Probavit quoque illustre illud Collegium, cui Regia auctoritate sanitatis cura commissa est, (Kongl. Sundhets Commissionen) quod, triennium post, schediasma⁴ conscripsit de nosocomio, secundum Londinensis formam, in infitionis usum, Stockholmiae adornando: et ut typis statim vulgaretur, adiecta cohortatione, ut quisque civium, quantum vellet pecuniae ad hunc egregium finem erogaret, curavit. Tum ordo ille, qui caementariorum liberorum (Frimurare) nomen asciuit, propriis sumtibus Gothoburgi nosocomium paravit, ubi, moderante cl. WESTMANNO, Physico et Assessore, a Chirurgo ENGELHARDT magno infantum numero variolae insitae sunt.⁵ Christianstadii pariter ab illo ordine aedes in hunc finem adornatas esse legimus.⁶ Ordo vero, qui Stockholmiae est, eiusdem nominis, quum, sub finem anni 1760 et sequentis initium, variolae vehementer saeuirent, cel. SCHVLZIO detulit,⁷ ut

⁴ V. *Provincial Doctorernas berättelser*, p. 84.

⁵ Haec litteris illustris Archiatri BÄCK, beneuole ad me scriptis, debeo.

⁶ V. cl. SCHVLZII *Tal om Barns skötsel*, p. 37.

⁷ V. *Stockholms Posttidning*, a. d. 25. Maii, a. 1761.

vt infantes, qui ordinis impensis sustentantur, eos scilicet, quos idoneos iudicaret, insitioni submitteret. Perfecit illam igitur, 29 Aprilis die anni 1761, in 37 infantibus, tres et dimidium ad 8 annos natis, postquam eos antea per hebdomades aliquot rite praeparasset, et secundum consilium Collegii medicorum Regii, 8 Novembris die anni 1760 patefactum, infusum picis liquidae magno iis cum fructu propinasset. Aequalis apud omnes et singulos successus fuit, quamvis nonnulli vermibus et auris ulcere correpti essent, alios vero paullo ante hydrops *ἀνὰ σάφρα* et tertiana tentauisset. Quinque horum fuerunt, quibus, filis etsi mutatis, nullus morbus excitari potuit. Et iam eo coniectura peruenire potuit, quoniam in his cicatrices ex superioribus variolis conspicuae fuerunt; nouum tamen periculum, vt eo certiores de deuicto hoste euaderent, instituere voluit.

§. 4.

Insitio Stockholmiae a cel. SCHVLZIO facta.

Vtut exoptate vero haec et alia aliorum medicorum experimenta cesserant, difficile tamen valde fuit opinionem, quam parentes de periculo coniuncto ceperant, in quam tamen, vtpote non nisi ex amore in tenellos suos profectam, non morose insurgam, vincere. Querelas idcirco mouet Cl. SCHVLZIVS,⁸ quod sibi intra quin-

⁸ V. *Provinc. Doctor. berättelser*, p. 85.

quennium, modo 123 infantibus, arte illa adiumento esse contigerit, suae licet curae maximus numerus se commiserit. Hos inter refert liberos legati Belgici de MARTEVILLE, filium regni Suiogothici Senatoris PALMSTIERNA, filium Comitis BRAHE, aliosque purpuratorum liberos. Praeclaro quoque exemplo ciues suos militum tribunus, COMES PONTVS DE LA GARDIE, praeiuit, qui et propriam filiam insitioni variolarum subiecit, SCHVLZIVM inuitans, vt in tribus ex praedio suo infantibus artificium tentaret. Quod tantopere iam valuit, vt alii pagani, eidem fundo adscripti, quum antea liberos suos retinuissent, nihil iam ardentius cuperent, quam vt mox insitionis participes fierent. Optima scilicet medicorum collegio commodissimaque in pagis artificium hocce promouendi via videtur, si praediorum domini, certo constitutoque quotannis tempore, variolas paganorum suorum liberis inferendas curarent. Et quot commoda non exsurgerent, si latius illa inter ruricolos in hanc rem procliuitas disseminaretur, siquidem, vt antea innui, duplo maior numerus in pagis, quam in vrbibus, variolis succumbit. Inter 123 illos infantes recensitos, 16 fuerunt, qui, renouata etsi insitione, a morbo immunes manserunt.⁹

§. 5.

• Inter alias obiectiones, quas artis nostrae aduersarii formant, homines multos variolis per insitionem infestari dicunt, qui, naturae arbitrio relicti, nunquam illis laboraturi fuissent. Fauent illis quodammodo eorum exempla, qui insitionem, etiamsi omni cura peractam, sine effectu experti sunt, quod quosdam contra vim morbi ab ipsa natura munitos fatis esse,

§. 5.

*Insitio Stockholmiae a cel. ACRELIO et cel. BERGIO
peracta.*

Qui manu celeberrimi Professoris ACREL¹⁰ insitionem sibi inferri passi sunt, numerum 29 infantum constituunt, e quibus, ut documenta afferam, nominabo, de procerum regni et purpuratorum prole, regni Sueogothici Senatorum illustrissimorum et excellentissimorum HÖPKEN,

PALM-

esse, demonstrare videntur. Sed non tot hominibus, ut putant, haec immunitas concessa est. Sunt enim, si ad naturalem infectionem respiciam, qui variolis intra matris sinum inclusi laborant; sunt e contrario, quos in fera senectute modo corripunt. In aliis febre sola morbus absoluitur, ut ne vnicum quidem exanthematum vestigium conspiciatur. In aliis rursus pustularum paucitate non circumspice satis attendentibus se subtrahit. Quod vero post insitionem variolae non erumpant, quamvis easdem homo antea nondum deicerit: vel a fili vetustate dependet, vel quod illud fortuito de sede sua remotum, vel quod pus variolosum a sanguineis guttis, e vulnere exundantibus, detersum quasi fuerit; ut alias, quae passim afferuntur, causas taceam. Qui autem raro illo a natura beneficio donati sunt, ut per totam vitam immunes a variolis persistant, in his nec arte vlla morbum excitari posse satis experientia euicit. Nec speciosum argumentum, quod de viperarum venenis, quae, ore assumta, non nocent, vulnere vero mortem afferunt, mutantur, sententiam illam labefactare valet, donec congener venenorum et contagiorum natura in clariorem lucem redacta fuerit. Confer, quae de cognatione venenorum cum contagiis scite docteque monuerit optimus amicus, cl. HENSLERVS, M.D. in praeclara sua dissertatione, quae *Tentaminum et observationum de morbo varioloso saturo* inscribitur, p. 11.

PALMSTIERNA, LAGERBERG, HAMILTON, nec non illustriss. Generalis Comitiss DE FERSEN, Fratrisque eius, rei venatoriae summi praefecti, liberos.

Cel. BERGIVS¹¹ 19 infantes numerat, quorum nonnulli etiam parentes, superiorem in patria ordinem tenentes, habent.

§. 6.

Insitio variis in locis extra Stockholmiam instituta.

Sed nec ceteros, qui extra metropolin insitionem exercuerunt, spes frustrata est. Gothoburgi enim cl. WESTMANN, Aboae cl. HAARTMANN, Wasae et in adiacente terra cl. HAST, Hernosandae cl. GISLER, Arosiae cl. S. M. G. SCHVLZ, et Fahlunae cl. Chirurgus SCHVLZ¹² eam administrarunt, ita ut, quotquot operationis beneficio uti voluerunt, sine vlla labe conualuerint.

§. 7.

Insitio Wasae a cl. HASTIO, et Gothoburgi a cl. WESTMANNO perfecta.

Summa eorum, qui cl. HASTII¹³ curae demandati fuerunt, ad 89 infantes ascendit. Initium insitionis iam anno 1756 fecerat in puella quadam paupere, qua ad sanitatem red-

¹¹ l. c. p. 88.

¹² ex litteris ill. BÄCKII.

¹³ V. Provinc. Doctorernas berättelser, p. 93.

redeunte, Gubernatoris prouincialis et Equitis PIPER tribus filiabus parem opem praestitit. Quod ad aetatem infantum spectat, vnum et dimidium annum omnes iam impleuerant, nullus vero nono excefferat; sexum si respicias, 32 masculi fuerunt. Hoc quoque emolumentum eius hac in re dexteritas attulit, vt, quum Iunii mense in vetere Carleby variolis, infantibus 16 inferendis, occuparetur, ruricolae locorum adiacentium, litteris eum compellarent, vellet eadem methodo suis quoque, autumnum tum futuro, adesse; ad quod multum loci huius sacerdos, IAC. CHYDENIVS filiusque eius persuasionibus suis contulerunt. Idem medicus in bobus¹⁴ infitionem pure, ex bubonibus internis collecto, ad praecauendam luem iis communem, instituit; nam inde ab anno 1746 frustra quamcumque aliam curam tentari expertus est. De experimenti euentu nondum mihi constat, quoniam, quum de illo referret, pecora adhuc ad operationem suscipiendam comoda reddebat.

Cl.

¹⁴ Non audio cl. HASTIVM in pecoribus recursus contagiosi morbi, quem cl. COURTIVRON (V. *Memoires de l'Acad. des sciences* a. 1748) se obseruasse memorat, habuisse exempla, quae si habuisset, vanum sine dubio artificium iudicaret. Quam vero cl. COURTIVRONII sententiam obseruationes, in Anglia passim captae, abunde euerunt, et praesertim illa nouissima cl. LAYORDII. (V. *Philosophical Transactions* Vol. 50, Part. 2. a. 1758) Octo nimirum vaccae, quae in perniciofa illa lue, anno 1746 in Anglia grassata, absque labe euaferant, per tres nouas epidemias illibatae manserunt, a commercio licet cum morbosus animalibus nullo modo remotae.

Cl. WESTMANN 32 infantes, quibus variolas inseuit, indicat,¹⁵ quorum duo vero nullum morbum consequuti sunt, quamvis bis eum ciere moliretur.

§. 8.

Insitio Aboae a cl. HAARTMANNO instituta.

Cl. HAARTMANNO¹⁶ autem fomitem pedi, inter genu et suram, versus interiorem partem, applicare in usu fuit, quoniam nimirum repetitis vicibus egregiam reuulsionem in hominibus, rheumatismo obnoxiiis, exinde percepit. Dixi iam supra, eum, Aboae 1754, insitionem instituisse, sed pluries posthac eam perfecit, ut inde ab illo tempore 13 infantibus eadem prospexerit. Ob filorum recentium inopiam, in 4 infantibus, crustis pustularum sibi Helsingforsia, ubi malignum variolarum genus vigeat, transmissis, ope vnguenti digestiui et cantharidum, morbum excitare necesse fuit, exitu tamen faustissimo. Tres infantes narrat sexto iam post operationem die in morbum incidisse, e quibus puella, 8 annos nata, in phthisin, qua mater iam laboravit, prona fuit. In hac nihilominus, etsi nigri coloris pustulae fuerant, quin iam retrocesserant, per Iulapium moschatum E. et Mixturam analepticam, vitam seruauit. Pulmones aegrae integriores exinde euasisse per annum, et quod excedit, visi sunt, sed sensim

ta-

¹⁵ Provinc. Doct. berättelser, p. 75.

¹⁶ l. c. pag. 38.

tamen noua phthificae labis indicia se manifestarunt. In alia puella, in qua fili virtus inanis fuerat, 14 diebus praeterlapsis, ope emplastri vesicatorii, variolas suscitauit. Accidit quoque Nostro, vt 3 infantes frustra operationem subirent. Addit vero, quod reticere non licet, in horum duobus, annis aliquot antea, et eo quidem tempore, quo variolae in vicinia grassabantur, exanthemata, variolis non absimilia, animaduersa esse.

§. 9.

Insitio Hernosandae a cl. GISLERO suscepta.

Morbo hocce in Angermannia saeuiente, mox post epidemiae initium, suis cl. GISLERVS,¹⁷ suaeque stirpis liberis insitione succurrere in animum induxit; quid? quod et alii, his exemplis excitati, eandem medelam arripuerunt. Infantes igitur 20 exhibet, quorum natu minimus dimidium, maximus vero decimum annum attigerat. Praeparatio in quibusdam pilulis laxantibus, Calomelano mistis, facta est; quod medicamentum pariter et illis, qui naturali via variolas superarunt, emolumento haud spernendo fuit. Eodem tempore GISLERVS cuidam verbi diuini ministro, BODINGIO, methodum variolas inferendi exposuit, fila simul, quibus eam perficeret, cum eo communicans, eo consilio, vt periculum, quod liberorum eius certicibus impendebat, auerteret.

Ille

¹⁷ l. c. pag. 60.

Ille igitur de salubritate artificii mox persuasus, propria manu, in tribus suis liberis illud adhibere non dubitavit. In quo MARRHERNIVM, sacerdotem Anglicum, praecuntem habet, quem scimus Bostoni olim in filio suo, dein in aliquot centenis hominibus insitionem administrasse.

§. IO.

Insitio Arosiae a cl. D. SCHVLZIO facta.

Adiungendus mihi restat Cl. D. et Math. Lector SCHVLZ,¹⁸ qui Arosiae 6 infantes, vno eodemque patre natos, insitionis arte ab interitu vindicavit. Querelas vero mouet vir doctissimus, a quibus abstinere nec ceteris, quos nominaui, medicis licuit, quod, experimenta etsi vbiuis successum faustissimum comitem haberent, tam pauci tamen arti subscribere voluerint.

§. II.

De sumtibus Stockholmiae ad nosocomium constitutis.

Verum spes adest haud mediocris, fore, vt impedimenta, quae vanus parentum timor struit, mox remoueantur, quum a Collegio illustri, cui sanitatis cura tradita est (Kongl. Sundhets-commissionen), sumtus ad nosocomium, variolis Stockholmiae inferendis dicatum, con-

¹⁸ l. c. pag. 83.

constituti sint.¹⁹ Non solum enim per hoc institutum, multorum hominum vitae et saluti consulatur; sed etiam ex catalogis conficiendis, quid emolumenti ex arte nascat, tanto luculentius cognosci poterit. Accelerarunt forsitan rem istam multa illa funera, quae Libitinae, annis 1760 et 61, variolae in metropoli deuouerunt. Consilium quidem conferendae pro arbitrio in hunc finem pecuniae Collegium illud initio, vt supra iam indicaui, ciuibus dederat; sed non tantum exinde rediit, vt infantibus commodè suppetiae ferri possent.

SECTIO III.

SCRIPTA DE VARIOLARVM INSITIONE IN SVECIA EDITA.

Expositis hisce de successu felici, quem insitionis artificium in variis Sueciae prouinciis habuit, incumbit mihi iam, scripta hac de re in patria edita recensere. Temporis vero ordinem ducem sequar.

§. I.

Versio libelli cel. DE LA CONDAMINE.

Anno 1754 eximia cel. DE LA CONDAMINE de variolis inferendis commentatio, (*Memoire sur l'inoculation*) consilio magni cuiusdam viri, meritorum non minus, quam

¹⁹ Haec ex litteris ill. BÄCKII hausi.

quam muneris splendore in patria conspicui, in Suecanam linguam tranſiit. Nondum vero, quantum equidem ſcio, auctoris *ſeconde memoire* in vernaculam verſa eſt.

§. 2.

Litterae illuſtriſſimi Comitſ TESSIN.

Eodem anno illuſtriſſimus Comes TESSIN epistolam ad Sereniſſimum Principem GVSTAVVM exaravit, in qua eximiis encomiis artificium cumulat, dubiaque, quae gentem antehac ab uſu eiſdem detinuerant, diſcutere ſtudet. (Vid. Epist. 18. Tom. 2. Verſionis Germanicae).

§. 3.

*Libellus ill. ROSÉN DE ROSENSTEIN
de variolis.*

Progredior nunc ad aureum de variolis libellum, quem ill. Eques ROSÉN D'E ROSENSTEIN, anno 1756, in calendariis Suecicis concinnare coepit, cuiusque ſectio nona, ſeu vltima, in calendario anni 1759 occurrit. Titulus eſt: *Vnderrättelſe om lättaste ſättet at genomgå kopporna.* Non modo enim vir illuſtris morbum per 4 eiſ ſtadia, tam quoad hiftoriam, quam medelam, quatenus ſcilicet contagio contrahitur, hic proſequitur, ſed et ſtudio deditaque opera de inſitione eiſ agit. Sollicite ideo et enucleate aetatem infantum, inſitioni commodiſſimam, modum corpus praeparandi, puris inſitiui indolem, anni tempus, opera-

operationem ipsam, naturam denique morbi, arte pro-
 lecti, et quae eo erumpente molienda sint, expendit;
 momenta his omnibus praemittens,¹ quae ad arripien-
 dum artificium tanta vi vrgent. Temperare mihi non
 possum, quin illa, quippe tam arcto heic loci vinculo
 collecta, vt sub vno quasi intuitu appareant, hic inseram.
 Spero enim fore, vt eadem, prout in patria factum est, et ex-
 tra illam, quosdam lectores, in insitionem antea frigidiores
 vel morosiores excitent et capiant; auctoris suasorisque
 dignitate nouum pondus addente. Principio remedia,
 quae contra funestum variolarum genus praemunire di-
 cuntur, recenset, medicamenta nimirum ex mercurio
 et antimonio parata, quibus BOERHAAVIUS tantam
 fidem tribuit, methodum antiphlogisticam, emtionem
 sic dictam variolarum, Aethiopem mineralem, LOBBII
 experientia commendabilem, infusum picis liquidae,
 a BERKLEIO tantopere laudatum, pilulas suas proprias,
 praeseruantes dictas, infinitis experimentis summo cum
 fructu adhibitas, moschum, quem in Norrlandia infan-
 tum collo appendere in vsu est, vti et mercurium viuum
 pariter appensum. Tandem de artificio nostro

“Tutissima tamen, inquit, funestum variolarum ef-
 fectum auertendi via earum insitio est, si in infantibus,
 eo, qui hodie in Anglia vsurpatur, modo, perficiatur.

¹ V. *Almanach til Götteborgs Horizont, för år 1757.*

Iniucundum est, in quavis epidemia, per totum tempus, Aethiope aut pilulis praeservantibus uti, vel infusum picis bibere. Et periculosum nimis, imminentibus variolis quietum esse, nec antea corpus, ad suscipiendum tam exitiosum morbum, rite praemunuisse. Quo feriori aetate ingruit, eo vehementius aegrum afficit. Corripere hominem variolae possunt, quando vel in peregrino loco, vel in itinere, vel in diuersorio versatur, tam a medico, quam a medicina et quavis cura alienus. Potest repente, aestate calidissima, vel hieme frigidissima, in illas incidere; quando nuperrime ante dira quadam aegritudine vel peruigiliis et laboribus exhaustus est; quando alius simul saeuus morbus, ut purpura, pleuritis, peripneumonia, vel petechiae, grassatur; quando spirituofo potu, copioso vel nociuo cibo, se repleuit; quando corpus corruptis humoribus scatet. Feminis in primis ad insitionem impellere incumbit, quum in consuetis variolis saepe venustate sua priuentur; quum iisdem vel gestationis vel puerperii tempore affici possint, tumque vel propria, vel foetus, vel utriusque, vita in periculo sit. Eorum sane exempla, qui in variolis visu, auditu vel loquela orbi facti sunt, nos admonent, ut grati medelam accipiamus, qua omnibus his malis obuiam itur. Primum est, qui, quod in Suecia septimus quivis infans variolis pereat, et quantum damni, ex hominum paucitate in regna redundet, haud ignorant, inferioris ordinis homines exemplis suis praeire. Excitari nos merito

rito ab aliis cultis gentibus patiamur, quae hanc medellam iam in vsum traxerunt, innocuam, vtilem, et, contra hominum paucitatem efficacissimam eam, agnoscentes. Et si libere loqui liceat, medicorum consiliis, qui rei et debent et possunt periti esse, suus honor auctoritasque assignari deberet. Omnia pro variolarum insitione militant, tam ratio, quam experientia, tam religio, quam morum doctrina. Ex variolis naturalibus, vnus inter 7 vita decedit. In nosocomio Londinensi, aegrorum, naturali via infectorum, in vsum structo, 2 inter 9 homines diem suam obeunt. Ante aliquot annos hic 270 praesidii regii (Kongl. Gardie) infantes inter 300 perierunt. Insitione vnus, inter 250, 425, vel 500 homines, moritur; quin immo, si proba praeparatio praecedat, nec in iis, quae ad dietam pertinent, vitium committitur, fortassis nemo inter multa hominum millia. In naturalibus variolis maximus pustularum numerus in facie erumpit; hic vero brachia plurimae occupant, et pus variolosum, quoad maximam partem, per vulnera, in brachiis incisa, emanat. Naturales variolae pluries quam semel ingruere dicuntur. Inter multa millia hominum, quibus insitione variolae excitatae fuerunt, ne vnicum de hoc exemplum exstat.² Immo, quodsi etiam ne vnica quidem pu-

² Non desunt tamen, qui insitionem contra nouum variolarum insultum tueri negant. Plerisque horum, dubito, an maior fides tribuenda sit, quam Chirurgo illi Anglo (Mr. JONES *from Oswestry in Shropshire*)

pustula erumpat, in totam tamen reliquam vitam homo tutus est, si modo vulnus per aliquot hebdomades pus effuderit, et febris septimo die, quod plerumque fit, accesserit. Quorum corpus ad suscipiendas variolas minus opportunum est, in his nec insitio efficax est. Superant vero metum et suspensionem, quae antea continuo animum versauerunt. Absit, quod numen, si variolas inserimus, tentemus. Absit, quod omnipotentiae eius nos opponamus. Non audemus ab illo prodigia efflagitare, sed freti clemente eius beneficentia, hoc ipso, tanquam alia re contra malum imminens nos praemuniente, vt

sbire) a quo sibi imponi passus est cl. CLINCH. (V. KIRKPATRICK'S *Analysis of inoculation. Vers. Germ. p. 174. seqq.*) Exempla a WAGSTAFFIO, CANTWELIO, ne alios nominem, allata, manifeste vacillant. Verum memorabilis tum ob nouitatem, tum ob auctoris candorem, observatio cl. LINEKOGELII est (V. *Hannoversches Magazin, 34 Stück, 1763*). Quinque nempe sorores, anno 1758 insitioni subiectae, in epidemia anni 1761 quidem saluae manserunt; sed anno iam praesente de nouo in variolas inopinato inciderunt. Laevius autem, (*in honorem insitionis!*) morbus illam affecit, quae crebras antea pustulas habuit, grauius e contrario et vehementius aliam, in qua paruus tantum pustularum numerus ex insitione pullulauit. Attamen dolendum est, quod cl. LINEKOGELIO operationi ipsi interesse non contigerit, quo de methodo adhibita et de filorum conditione melius constaret. Inertiam filorum suspicor, quum, tribus filis frustra vsurpatis, quartum demum efficax fuerit. Sed nec illud, nisi exanthemata pauca, macularum instar depressa, sexto

Vt remedio, circumspectione iusta adhibita, utimur; affulgente spe illa certa, fore, ut, eius ope, horrendo, periculoso, ineuitabili, et exitioso saepius morbo occurramus. Non peccamus in prouidentiam diuinam, sed accipimus et usurpamus medendi modum, quem supremus arbiter detegi iussit, et quo iam tot millium hominum vitam seruata esse percepimus. At si quis naturalibus variolis succumbat, merito animo angi debemus, quod oscitantia nostra vel contemtu neglexerimus, quo mortis faucibus eripi potuisset."

§. 4.

sexto et septimo die iam euanida, excitare valuit; vulnus vero, licet altum satis, longumque, pauxillum modo puris eiecit. Hoc interim certo scio ex amico medici celeberrimi, qui insitionem perfecit, iam ad coelites elati, eum ipsum nonnihil postea ob symptomatum leuitatem de futura infantum immunitate metuisse. Multum sane exinde roboris sententia cl. KIRKPATRICKII (V. *Recensio Edit.* 2. in *Götting. Anzeigen* p. 348. anno 1763) nanciscitur, qui non omnino securos contra recrudescens malum eos iudicat, quorum vulnus nimis parcam puris quantitatem excreuit, quibusque nimis paucae pustulae eruperunt. Quanto magis igitur illis induciis diffidendum est, quae, quando maculae pustularum locum supplerunt, ineuntur? Hanc puris eiectionis inopiam pustularumque paucitatem tanquam causam arguit, cur quidam, MOTTE dictus, recursum variolarum, comite morte, expertus fuerit; idemque de filia TIMONI, quae 20 annos post insitionem naturalibus variolis obiisse dicitur, (V. HAENII *quaestiones saepius motae super metodo inoculandi variolas*, p. 74 *seqq.*) sentit,

§. 4.

Versio apologiae venerab. CHAIS.

Successit tum apologiae venerabilis CHAIS (*Essai apologetique sur la methode de communiquer la petite verole par inoculation, par Charles CHAIS, Ministre du St. Evangile a la Haye*) versio Suecica, cuius auctor summe venerandus G. ROSEN, S. R. M. supremus a sacris, est. Titulum illa prae se fert: *Soar på the fornämste inkast, hvilka et om sina Christendoms plikters obrottliga utöfning sorgfälligt samvete plägar göra emot koppymningen &c. Stockh. 1756.* Notis passim instruitur et praefamine, in quo vir venerabilis admonitionibus grauissimis insitioni plausus conciliare annititur.

§. 5.

Cl. SCHVLZII liber de insitione variolarum.

Proximum est cel. SCHVLZII opus: *Berättelse om koppors ympande, öfverlämnad til högloflige Kongl. Sundhets-Commissionen, Stockh. 1756,* quod in promptuarii Hamburgensis 1ma et 2da voluminis 26ti parte, Germanice a me redditum, reperitur. In systema, quicquid de insitione experientia et bona ratio dicat, doctissimus auctor reuocat, optimo ordine vbique vsus, interspersis breuiter aliorum auctorum obseruationibus, ita vt, si argumentum in compendio, solide tamen, propositum desideres, vix alius libellus praeferri mereatur.

§. 6.

§. 6.

Observatio cl. BERGII, ex actis acad. R. Sc.

Huc etiam pertinet disputatio cel. BERGII, in actis academiae Reg. scientiarum Suecicae,³ ubi historiam feminae describit, quae a filio tenello, variolis laborante, quum lac maternum sugeret, infecta est. Singulare fuit, quod paucae modo, in facie reliquaque corporis parte, pustulae, tanto plures vero in ea mamma, cui inhiauerat pusio, quae sinistra fuit, et praecipue circa papillam, ubi coaceruatim eruperant, apparerent. Ex hoc exemplo, ut quod docet, variolas eum in primis locum, qui contagium exceperit, occupare, insitionem commendat.

§. 7.

Observatio cl. SCHVLZII, ex actis acad. R. Sc.

Inter acta eiusdem academiae⁴ experimentum cel. SCHVLZII existit, quo euicit, sine vlla noxa fila diuerso pure imbuta, vulnere immitti posse. Immo vero maximo cum fructu id fieri ostendit, siquidem non raro accidat, ut morbus post primam insitionem minime sub-

³ Kongl. Svenska Vetensk. Acad. Handlingar, för år 1756, trimestre 1.

⁴ l. c. trimestre 3.

sequatur, quum, pluribus filis adhibitis, non deficiat; nimirum quod, altero filo effectū suo carente, alterum tamen efficax esse possit. Ter hoc periculum tribus diuersis filis ipse clarissimus auctor fecit, de quo successus historiam hic enarrat.

§. 8.

*Medicorum prouincialium res gestae ab anno
1756.*

Tabulae, ex quibus numerum et nomina eorum, qui infitione vti sunt, petii, in libello, res medicorum prouincialium, superioribus annis et speciatim, inde a comitiis anni 1756, gestas comprehendente, inueniuntur. Patrio sermone ita inscribitur: *Provincial Doctörernes til Kongl. Collegium medicum inlemnade Berättelser, rörande deras ämbets förrättningar, desse senare åren, i synnerhet sedan fiste Riksdag. Stockh. 1761.*

§. 9.

Auguria de vltiori artificii in patria successu.

Ex allatis non difficile ad eruendum erit, qualem in Suecia infitio variolarum existimationem nacta sit. Collegi igitur, quae fata et conditionem eius praesentem in patria nonnihil illustrant, vt vna quasi tabula exhiberem,
quae

quae vel alibi perscripta leguntur, vel typis nondum mandata sunt: quorum bonam partem beneuolentiae illustris БÄCK, Archiatri et Praefidis Collegii medici, non vno nomine meritissimi, debeo. Nec actum egisse mihi videor, quod nomina infantum, quibus natalium splendor contigit, huc transtulerim. Patet enim, optimates in Suecia, successus dubii metu, qui apud principes homines alias plerumque, in eiusmodi re, solet esse paulo tenacior, non deterreri: et de vltioribus artis incrementis haud dubio omine exinde augurari licet. Fuere inter reliquos, quorum nomina, hic etsi non relata, catalogi citant, vtriusque sexus infantes, quos integerrime a parentibus, iisque sagacioribus, dilectos, ex consuetudine, quam Stockholmiae cum eorum nonnullis colui, noui. Non igitur ex coeco quodam assensu, vel frigidiore in liberos affectu, ad hanc rem se accommodasse illos suspicari conuenit. Tanto vero minus de amplissimis artificii huius in Suecia progressibus, futuro tempore, faciendis, dubium existere potest, quum medici supremi in patria ordinis illi faueant, et promouendae intentissimi sint. Frui illud patrocinio illustris et generosissimi Equitis ROSEN A ROSENSTEIN, non ex vno tantum documento palam est. Prout vero magnus ille vir de eodem iudicat, ita sentit illustris Archiater БÄCK, ita sentit totum medicorum collegium, ita omnes in Suecia medici sentiunt.

§. 10.

De litteris Regiis, medicis solis insitionis exercitium concedentibus.

Caue vero existimes, medicis nostris insitionis artem tam leuem videri, vt ab hominibus temerariis et nullis artis salutaris praeceptis instructis, exerceri posset, quamuis ea casu nonnunquam feliciter, quando corpus sanum integrumque fuit, illis cesserit. Contra ea medicorum Collegium litteras publicas, deuotissime petitas, a S. R. Maiestate obtinuit, quibus omnes, qui Doctoris in arte titulo carent, nisi praesente medico, negotiumque moderante, ab exercitio insitionis excluduntur.

f V. cl. SCHVLZII *Berättelse om Koppors ympande*, p. 100.



